jugo Antichriſti Romani ad tempus verè longum preſſa latuerit & jam præterito ſeculo fideli miniſterio Lutheri feliciter inſtaurata, & è tenebris quaſi eruta ſit, ideo imperitis nova videtur, Sciunt autē Sapientes, etiam antiquum eſſe novum, ſi ante ſe habeat aliquid antiquius. Noſtram verò Ecclesiam ab omni novitatis nota facile liberabimus, quia eam cum antiquiſſimâ Chriſti & Apoſtolorum fide convenire certò perſuaſi ſumus, & ad probandum omni tempore parati. Id autem eſt verius, quod prius; id prius quod ab initio, id ab initio, quod ab Apoſtolis, ſcribit Tertullianus.

LXXIII.

DEO noſtro ſummè miſericordi ſit honor, laus & gratiarum actio, quòd per fidèle miniſterium Beati Lutheri Eccleſiam ſuam ſatis diu preſſam à tyrannide pontificia, tanquam ex fornace ferrea liberavit, eamque in dulciſſimâ noſtra patria Germani âinprimis florere voluit: quo nomine ipſi hoc anno ſeculari meritò cantamus hymnum & jubilum; devotis animi ſuſpiriis ingemiſcentes, ut in poſterum quoque ſibi hunc cœtum in quo invocatur nomen ejus, habeat quam commendatiſsimum, Spiritu veritatis eum regat, pace ac tranquillitate beet, ab omni malo protegat, & intemeratam ad ſeram uſque, ſiqua futura eſt, poſteritatem propaget. DEUS virtutum convertere, reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam tuam quam plantavit dextera tua, Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem confirmâſti tibi: & non diſcedimus à te: vivificabis nos, & nomen tuum invocabimus, Domine Deus virtutum converte nos, oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Amen.

ERRATA

Theſ. 3. lin. 8. lege, iſtas calumnias. th. 6. lin. 5. verbo, th. 7. l. 14. mandatam th. 16. Audianus, th. 24. l. 17. campanarum.

Coll. diss. A 143,40